



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 120. De patrino confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

periculum pugnae, tamen debet conferri, ut decedant eum perfectione gratiae, & sic habeant etiam maiorem gloriam.

3. Si Bonaventura in 4. dist. 7. art. 3. qu. 1. Richardus ibidem art. 3. dub. 7. Halensis 4. par. quaest. 28. memb. 2. & 3. Petrus Soto lect. 2. de confir. & alii, docent expedire, ut infantes confirmantur tempore infantiae ante usum rationis, & in hanc opinionem videtur etiam inclinare S. Thomas hoc art. 8. quaest. 72. Probatur primo ex usu antiquo ecclesiae, siquidem non solum adultis, sed etiam infantibus statim post baptismum dabatur sacramentum confirmationis, ut colligitur ex Dionysio, Cyrillo Hierosolimitano, & alijs patribus, & clarissime ex Augustino tractatu 6. in 1. epist. Ioannis, in qua dicit: *Quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur.* Probatur secundo: nam utile est infantibus confirmari statim post baptismum, ut instituatur perfectius christiani, & ut si forte moriantur, obtineant maiorem gloriam, & beatitudinem. E conuerso Glossa in cap. *ut ieiuni de consec. dist. 5.* docet expedire, ut confirmatio differatur vsque ad aetate radulam, & ita intelligit textum, in quo dicitur, *ut ieiuni ad confirmationem veniant, perfecte etatis.* Existimat autem ad aetatem perfectam requiri, ut puer sit annorum saltem duodecim: & hanc opinionem ex theologis sequitur Marsilius in 4. quaest. 5. art. 4. dub. 2. & 3. Alij, ut Paludanus quaest. 4. num. 10. Sorus ibi art. 8. Victoria in summa part. 48. & 49. Syluester verbo *confirmatio* catechismus Pij. V. docent confirmationem differendam vsque ad septimum, & tum dandam, cum pueri habent usum rationis, ac possunt percipere, quid in illis agatur. Probatur, tum quia est maior reuerentia sacramenti; tum quia cum in baptismo infantes primo professi sint fidem per alios, congruum est, ut in confirmatione fidem profiteantur per se ipsos.

4. Dicendum cum Suar. disp. 35. sect. 2. dari rationes pro vtraque parte, adeoque & rationabilem fuisse usum ecclesiae antiquae confirmandi statim post baptismum, & laudabilem esse usum nostrorum temporum differendi confirmationem vsque ad usum rationis, ac in praxi standum esse consuetudini. Si tamen timeretur, ne diu abesset episcopus, aut si infans esset in periculo mortis, posset etiam nostris temporibus confirmari infans.

5. Amentes, qui habuerunt usum rationis, non solum possunt, sed etiam debent confirmari, si censentur esse in statu gratiae, ut praesumitur, nisi constet oppositum: siquidem praesumitur bonus, qui non probatur esse malus. Ratio est, quia non debent priuari gratia sacramentali. Porro ut hoc sacramentum valide recipiatur, sufficit illa generalis voluntas, qua omnes fideles censentur vellemus remedia, & beneficia ad suam salutem. Amentes etiam, qui nunquam habuerunt usum rationis, sunt confirmandi, si quidem non debent perpetuo priuari hoc beneficio, nec

est ratio differendi ad tempus usum rationis, cum non sperentur habituri usum rationis. Confirmandi etiam sunt homines huius aetatis morituri, ne priuentur gratias huius aetatis. Nec obstat, quod hoc non fit in usu. Nam ut loquitur Innocentius epistola ad Bonaventuram, non est in usu, quia episcopi confirmationibus alijs impediti ad omnes languidire non possunt. Ceterum si episcopus, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, benedicere, & tangere chrismate, sine confirmatione potest.

6. Qui confirmantur, signandi sunt signo Crucis in fronte ideoque Rabanus lib. 1. de institutione clericorum, cap. 30. dicit: *signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem: per Pontificem vero in fronte.* Duae rationes affert S. Thomas quaest. 72. art. 9. Prima est. Qui confirmatur signari debet pugnam cruce, quasi signo ducis sui; sed hoc signo debet signari in parte corporis manifestissima, qualis est frons, quae penes nunquam obtegitur; ergo &c. Secunda ratio est. Homo solet impedi ad libera confessione nominis Christi propter timorem, vel propter verecundiam; sed signa timoris, & verecundiae maxime apparent in fronte, tum propter proquinquitatem imaginationis, tum quia spiritus a corde directe ascendunt ad frontem, ideoque Aristoteles 4. Ethicorum capite ultimo dicit, quod *verecundati erubescunt, timentes autem pallefcunt*; ergo qui confirmantur, signandi sunt in fronte, ut neque propter timorem, neque propter verecundiam omittant confiteri nomen Christi. Quia igitur per baptismum regeneratur totus homo, totus et abluendus. At per confirmationem, quia insignimur signo Christi, quod ferendum est in parte corporis manifestissima, signari debet homo in fronte. Rursus, quia confirmamur, ut non solum confiteamur fidem corde, & ore, sed libere profiteamur coram alijs, signari debemus non in corde, & ore, sed in fronte, in qua apparent signa timoris, & verecundiae, quae duae passionnes solent impedire liberam fidei professionem; ideoque Ezech. 3. dicitur: *ecce dedi frontem tuam durioram frontibus corum.*

QVAESTIO CXX.

De patris confirmationis.
S. Tho. quaest. 72. art. 10.

1. **E**st antiquissima Ecclesiae institutio, & consuetudo, ut sicut in baptismo, sic in confirmatione detur aliquis patrinus, & sponsor, qui confirmandum teneat. Huius enim Papa, ut refertur cap. 100. in *Catechismo de Consecratione, dist. 4.* dicit non esse Ecclesiae Romanae consuetudinem, ut idem sit eiusdem patrinus, seu susceptor in baptismo, & in confirmatione, quamquam ob necessitatem id fieri possit: & capite sequenti refertur ex Leone dicitur, sicut in baptismo, sic in confirmatione.

confirmatione vnum tantum debere esse susceptorem, vel virum, vel foeminam; & rursus sequenti cap. 102. additur ex Concilio Moguntino huiusmodi patrinum debere esse confirmatum. Rationem affert S. Thomas quæst. 72. art. 10. Nam milites Tyrones indigent aliquo, à quo instruantur de his, quæ pertinent ad modum pugnandi; sed qui confirmantur sunt Tyrones in militia Christiana; ergo congruum fuit, vt illis daretur aliquis patrinus, à quo instruerentur ad pugnam spirituales. Rursus quia baptizati, & nondum confirmati, licet sint adulti corporaliter, censentur adhuc pueri, & imbecilles in vita spirituali, sustentari debent ab aliquo, dum confirmantur, vt per confirmationem acquirant perfectam ætatem in vita spirituali. Præterea quia congruum est, vt qui adhuc non est ascriptus militiæ, non per se ipsum se offerat duci, sed offeratur per alium, qui est iam militiæ ascriptus, ideo qui per baptismum effectus est membrum Ecclesiæ, sed non est adhuc per confirmationem ascriptus militiæ Christi, debet Episcopo, qui est dux huius militiæ, offerri per alium iam militiæ ascriptum, ideo, que patrinus debet esse confirmatus. Et quia, vt dicit Apostolus ad Col. 3. *In Christo Iesu non est masculus, & femina*, ideo nihil refert, vtrum masculus, vel foemina teneat aliquem in confirmatione.

2. Patrinus confirmationis contrahit eum confirmato cognitionem spirituales proportionally, ac de patrinus baptismi dictum est qu. 104. Patrinus post Tridentinū sess. 24. de reformatione matrimonij, cap. 2. contrahit cognitionem spirituales solum cum confirmato, illiusque patre, & matre. Licet autem, ante Tridentinum possent plures esse patrini baptizati, vel confirmati, & omnes contraherent cognitionem spirituales, vt statuitur, capite *quamvis* de cognitione spirituali in sextotamen Tridentinum loco citato statuit, vt vnus tantum, & vna teneant confirmandum, & illi soli contraherent cognitionem spirituales, vt de baptismo explicatum est qu. 104. Qui non est confirmatus non potest esse patrinus in confirmatione, & si teneat, grauiter peccat, & non contrahit cognitionem spirituales cum illo, vt cum alijs docet Suarius in comm. art. 10. qu. 72. Ratio est, quia verè non est patrinus, cum non habeat conditiones ab Ecclesia requisitas ad patrinum. Patrinus confirmationis tenetur filium tuum spirituales in fide, & moribus instruere saltem pro casu, pro quo indiget tali instructione, & hoc munere non fungitur patrinus baptismi.

QUÆSTIO CXXI.

De ministro confirmationis.

S. Tho. quæst. 72. art. 11.

1. **V**icessus, vt colligitur ex Concilio Constantiensi sess. 8. docuit quemlibet sacerdotem esse ministrum sufficientem confirmationis. In eundem errorem inclinavit Armacanus lib. 11. de quæst. Armen. cap. 4. Durandus in 4. dist. 7. quæst. 3. Scotus ea-

dem dist. qu. 1. & Caietanus, qui in Comm. huius art. 11. qu. 72. & in Comm. cap. 8. Actuum Apostolorum, docet Episcopum esse necessarium ministrum confirmationis necessitate præcepti, non autem necessitate sacramenti, adeoque simplicem sacerdotem posse validè confirmare, licet peccet. Videtur eundem errorem insinuare S. Hieronymus, dum in Dial. contra Luciferianos dicit, non ad legis necessitatem, sed ad sacerdotij honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, vt illis manus imponant.

2. Contra allatos errores de fide est, ac definitum à Florentino in Decreto pro Armenis, & à Tridentino sess. 7. can. 3. de confirmatione, solum Episcopum esse ministrum ordinarium sacramenti confirmationis. Hinc sequitur simplicem sacerdotem sine dispensatione Papæ non posse validè confirmare, atq; hoc etiã de fide esse censet Suar. disp. 36. cap. 1.

3. Probatum primo: nam Florentinum, & Tridentinum, dum assignant ministros aliorum sacramentorum, assignant ministros necessarios; ergo etiam dum dicunt Episcopum esse ministrum ordinarium confirmationis, docent Episcopum esse ministrum necessarium, adeoque simplicem sacerdotem non posse validè confirmare.

4. Probatum secundo: nam Tridentinum sess. 13. cap. 4. inter alias functiones Episcoporum, quarum reliqui inferioris ordinis potestatem nullam habent, ponit hanc Sacramentum confirmationis conferre; & Can. 7. damnat dicentes potestatem confirmandi esse Episcopis cum presbyteris communem; ergo &c.

5. Probatum 3. nam Eusebius Papa epist. 3. vt refertur de Consecr. dist. 5. cap. 4. *manus impositionis dicit; manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus &c.* & paulo post addit: *nam si aliter presumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta:* & Melchisedes Papa, vt refertur de consecr. dist. 5. cap. 3. *De his verò dicit, A maioribus fit, id est à summis Pontificibus, & à minoribus perfici non potest.* Eodem pacto loquuntur Clemens, Damasus, Innocentius, & Leo, quos citat Suarius disp. 36. scæ. 1. Idem docent plures Patres apud eundem Suarium.

6. Rationem congruentiæ, propter quam, licet sacerdotes simplices possint baptizare, solum Episcopus potest confirmare, affert S. Thomas art. 11. Nam vltima perfectio operis seruari debet sapremo artifice, eo pacto, quo licet artifices inferiores præparent materiam, superior artifex dat formam, & licet notarius scribat epistolam, Pontifex illam signat: sed fideles sunt quoddam opus diuinum, & quædam Epistola spiritu Dei scripta, ideoque Apostolus 1. ad Cor. 3. dicit, *Dei edificatio estis*, & 2. ad Cor. 3. *Epistola estis Christi*; ergo licet ad inferiores sacerdotes spectet per baptismum edificare hoc spirituale ædificium, & scribere hanc epistolam, ad solos episcopos spectat